



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. I. Responsio M. Mercori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

evidentia probabilioritatis non impedit assensum circa minus probabile, quo modo evidentia credibilitatis non impedit assensum circa articulum falsum. Deinde retorquedo: Sicut ex eo, quod intellectus non possit non assentiri evidentiae de minori probabilitate, non sequitur non posse non assentiri motivo minus probabilis ex eo, quod assentiatur reflexe evidentiae de maiori probabilitate, non sequitur non posse non assentiri maiori probabilitati. Adde aliud esse evidentiam maiorem, aut minoris probabilitatis, aliud ipsam maiorem, aut minorem probabilitatem. Intellectus necessitatur quidem assentiri evidentiae maiorem, aut minoris probabilitatis, non tamen ipsi maiori, aut minori probabilitati; quapropter poterit intellectus ex voluntatis imperio assentiri parti minus probabili, nec necessitabitur assentiri probabiliori, licet haec sit evidenter probabilior; ut enim dixi, aliud est, quod intellectus necessario assentiatur evidentiae tam maiorem, quam minoris probabilitatis; aliud est, quod necessario teneatur assentiri ipsi maiori, aut minori probabilitati. Ratio est; quia non ex eo quod B est minus verosimile, est minus verum, seu magis falsum; nec ex eo quod A est magis verisimile, est magis verum, seu magis abest a falso; aliud enim est, quod quia verosimilius videatur magis distans a falso, & quia minus verosimile, videatur minus distans a falso; aliud, quod minus probabile minus distet a falso, & magis probabile magis distet. Primum est verum, secundum falsum. Demum doctrina P. Esparza tota in hoc fundatur, quod eo ipso, quod unum extremum sit evidenter probabilius, eo ipso ob hanc evidentiam ei oppositum non maneat probabile. Verum adhuc hoc concessio, ex hoc unice colligitur, quod tunc non potero licite sequi illud extremum, quia non manet amplius probabile; non autem quod absolute sequi non potero: quo modo Haereticus illicite sequitur articulum falsum, stante evidenti maiori credibilitate articuli oppositi veri, & nulla prudenti credibilitate articuli falsi, cui tamen adharet.

SECTIO V.

Referuntur, & refelluntur Adversariorum
responsiones.

§. I.

Responsio M. Mercori.

SUMMARIUM.

Docet, hominem, cui mysteria fidei proponun-

tur ut evidenter credibilia, non posse credere
oppositum, n. 334.

Docet, omne evidenter credibile debere apparere
certum, & credi non posse, nisi evidenter cre-
dibile, n. 335. 336.

Alia eius rationes, n. 337.

Docet, quod evidentia signorum necessitet intel-
lectum ad actum fidei, adeoque non est liber
libertate exercitij, sed tantum specificationis
quoad modum, n. 338.

Docet, in his, quae intellectum non convincunt,
liberum esse libertate exercitij, & specifica-
tionis, n. 339.

Docet, obedientem credere, esse certo verum,
quod Praelatus jubet, n. 340.

Contradictiones M. Mercori, n. 341.

Evidentia credibilitatis requiritur, ut objectum
sit prudenter, non ut sit credibile, n. 342.

Minus credibile credi potest, n. 343.

Si intellectus non potest assentiri minus credibili,
non dantur Infideles, & Haeretici, nisi mate-
rialiter, n. 344.

Non debet transiri ab eo, quod intellectus potest,
ad id, quod debet, n. 345.

Quandonom intellectus teneatur ad credibilibus,
quando non? n. 346.

Adhuc non tenet paritas: in materia fidei tene-
mur ad credibilibus, ergo in agibilibus ad pro-
babilibus, n. 347.

Sicut peccator, bonum, quod amat, non iudicat
esse melius Deo, ita nec Haereticus fidem,
quam sequitur, iudicat esse credibiliorum,
n. 348.

Haereticus peccaret ad summum, dando locum
passioni, non vero credendo falsum, n. 349.

Sicut contra alias virtutes, ita contra fidem, au-
pliciter peccatur, n. 350.

Prohibetur infidelitas positiva, adeoque est possi-
bilis, n. 351.

Si Infidelis credere non potest minus credibile,
Deus vetat credere magis credibile, n. 352.

Fides est saltem libera libertate exercitij, & ideo
pia affectio est necessaria: rationes, & Docto-
res, n. 353.

Judicium credibilitatis revelationis, quod est
evidens, confundi non debet cum iudicio re-
velationis, quod est obscurum, n. 354.

Dicere fidem esse liberam ex hoc, vel illo moti-
vo, est dicere scientiam esse liberam, n. 355.

Sicut aliarum virtutum actus sunt immediate
liberi, ita fides, n. 356.

Libertas considerandi diversa motiva, impug-
natur illis, quibus libertas praedetermina-
tum, n. 357.

Talis libertas convenit scientiae, n. 358.

In subdito sepe repugnat hoc iudicium, quod ju-
bet Praelatus est certum, aut verum, n. 359.

Magi-

N. **M** Agister Mercor. 2. p. art. 5. vult hominem, cui mysteria fidei proponuntur ut evidenter credibilia, non posse credere oppositum.

N. 334. **M. Mer.** Quia (ait 1.) evidenter credibile debet apparere certum: ergo cum implicet, ut utrumque contradictorium appareat certum, implicat, ut simul appareat credibile; ergo si apparet evidenter credibile Messiam venisse, non potest eidem esse credibile Messiam non venisse; ergo licet possit suspendere assensum de Messiae adventu, non tamen credere potest Messiam non venisse. Ex hoc infert, quod intellectus numquam judicare possit utrumque contradictorium esse credibile, esto judicet adesse pro utroque motiva valida pro credibilitate, quam inducerent, nisi ratione contrarietatis se eliderent, ut dixit de probabilitate. Confirmat ex eo, quia supponit intellectum non posse credere aliquid, nisi sit evidenter credibile.

N. 336. **M. Mer.** Ait 2. pag. 75. quod si infideli proponantur contradictoria cum aequali motivorum credibilitate, nulli parti poterit assentiri, & multo minus parti minus credibili; tum quia intellectus assentiri non potest objecto, nisi sit evidenter credibile; tum quia sicut testes contrarii nihil probant, ita in hoc casu; tum quia nullus potest prudenter credere, nisi habeat motiva maiora pro parte, quam credit.

N. 337. **Tertio pag. 78.** postquam sibi respondit, nos dicere posse ejus argumenta unice probare, quod ut quis prudenter credat, assentiri debeat credibiliori, non autem probare, quod absolute intellectus non possit assentiri minus credibili, etsi imprudenter: Respondet tria; primum est, quod etsi hoc totum daretur, tandem verum esset, quod sicut in credilibus tenetur quilibet assentiri credibiliori, & peccat assentiendo minus credibili, ita in agilibus tenetur quilibet ad magis probabile, & peccabit sequendo minus probabile. Secundum est, intellectum non posse physice assentiri parti minus credibili, & ideo imprudenter credit, non quia assentitur minus credibili, sed quia illud minus credibile apparet ex passione aliqua sibi evidenter credibile. Tertium est, quod peccatum infidelitatis non consistat in credendo oppositum fidei, sed in hoc credendo propositum sufficienter a fide; ex. gr. non consistit in credendo Messiam non venisse, sed in non credendo Messiam venisse.

N. 338. **Quarto ait 2. p. art. 6.** quod habens evidentiam signorum non liberè credat libertate exercitij, sed tantum libertate specificationis.

Tom. I.

tionis, quantum ad modum. Primum probat; quia evidentia signorum necessitat intellectum, ne suspendat actum fidei. Alterum probat; quia etsi Fidelis tunc necessitetur ad actum fidei, potest tamen actum fidei elicere ex hoc, aut illo motivo, seu bene, vel male, nempe vel ex pia affectione in Christi D. obsequium, vel ex solo credibilitatis motivo. Addit in his, quæ intellectum non convincunt, liberum esse credere libertate, tum exercitij, tum specificationis, quatenus accipere potest ex duobus contradictorijs alterum esse bonum, & conveniens credenti, adeoque potest hanc partem præ opposita credere libertate specificationis.

Quinto ait 2. p. art. 2. circa finem, quod quando subditus contra propriam opinionem sibi probabiliorē obedit Prælo, tunc non adheret parti minus probabili ex solo motivo minus probabili, sed ex præsumptione, quod Prælati jubeat tantum, quæ honesta sunt, & credit certo esse verum, quod antea ex motivo intrinseco judicabat minus probabile, & concludit casum non esse ad rem.

Antequam directe impugnem, quæ doctus, & modestus M. Mercor. tradit, operæ pretium est ejus contradictoria notare. Primum est, quod, ut supra dixi *sect. 1. M. Mercor. 2. p. art. 3.* aperte supponit posse utrumque contradictorium judicari probabile; & 2. p. art. 1. ait, aliud esse judicare utramque partem contradictionis esse probabilem, aliud probabiliter assentiri utrique. Primum concedit, secundum negat; sicut autem dum negat, non negat intellectum posse seorsim assentiri utrique, hoc enim potest per omnes; sed negat posse intellectum assentiri simul utrique, quod omnes concedunt; ita dum concedit intellectum posse judicare utrumque probabile, non concedit præcise, quod possit divisim, sed quod simul possit; hoc enim concedit in primo, quod negat in secundo; sed in secundo negat simultatem assensuum contradictorijs, ergo concedit in primo simultatem probabilitatis utriusque contradictorij. Idem patet ex alijs locis a me relatis *sect. 1. §. 2.* nempe, quod M. Mercor. admittat simultatem probabilitatis utriusque contradictorij. Hic autem in *primâ relata responsione* supponit hoc esse falsum: ecce igitur contradictio: duo objecta non possunt simul esse credibilia, sicut non possunt esse simul probabilia: duo objecta possunt simul esse credibilia, sicut possunt esse simul probabilia. Hæc eadem contradictio clarius patet 2. p. art. 3. pag. 57. ait enim in resolutione questionis, intellectum

Ff

actu

actu considerantem utramque partem contradictionis esse æqualis probabilitatis, &c. ergo supponit utrumque contradictorium posse simul apparere probabile; ergo etiam utrumque credibile; vel si hoc negat, & illud.

Secunda contradictio, & inconsequentia est, quod 2. p. art. 10. pag. 113. §. nota 2. ait, intellectum posse disputationis gratia sequi partem minus probabilem stante probabiliiori oppositâ; hic autem in 1. & 2. responsione paulo antè adductâ, vult intellectum non posse assentiri parti minus credibili; ergo concedit simul, & negat intellectui potentiam physicam assentiendi parti minus credibili: concedit, dum concedit posse intellectum assentiri parti minus probabiliori; negat, dum negat posse intellectum assentiri objecto minus credibili. Tertia contradictio est, quod ut dixi paulo antè in 1. responsione, concedit intellectui, cui est evidenter credibile Messiam venisse; libertatem exercitij, nempe posse suspendere assensum, & posse assentiri Messiam venisse; & tamen in ejus doctrinâ relatâ hic respons. 4. hoc negat, dum ait intellectum habentem evidentiam signorum non libere credere libertate exercitij, quatenus evidentia signorum necessitat intellectum, nè actum fidei suspendat.

Quarta est, quia hoc loco paulo antè citato ait, in his, quæ intellectum non convincunt, liberum esse credere libertati tum exercitij, tum specificationis, & tamen prius dixerat, quod habens evidentiam signorum non libere credit libertate exercitij, quæ si benè considerentur, sibi contradicunt; nam evidentia signorum non convincit intellectum in ordine ad objectum credendum, sed tantum necessitat intellectum ad iudicium evidens de credibilitate, & credenditate fidei; fides autem non est iudiciû de credibilitate objecti, sed de ejus existentia, aut non existentia. Ecce igitur contradictio: intellectus non convictus est liber libertate exercitij: sed habens evidentiam signorum non est convictus circa mysterium credendum; ergo est liber illud credere, aut omittere: rursus: habens evidentiam signorum non est liber libertate exercitij: sed intellectus non convictus de mysterij credendi veritate habet evidentiam signorum; ergo intellectus non convictus, non est liber. Quinta est, quod 2. p. art. 5. ait, quod intellectus non potest credere aliquid, nisi sit evidenter credibile; & tamen 2. p. art. 6. supponit ut certum, quod intellectus credere possit aliquid non evidenter credibile; ait enim intellectum nõ

convictum (convincitur autem juxta Mercor. ab evidentia signorum, seu credibilitatis) esse liberum; ergo intellectus credere potest aliquid non evidenter credibile. Quæ omnia mihi videntur contradictoria.

Modò directè impugno per partes responsiones. Primam 1. quia falsum est, quod intellectus non possit credere, nisi objectum sit evidenter credibile; nam evidentia credibilitatis ad summum requiritur, ut objectum sit prudenter credibile, non autem, ut sit credibile, ut constât experientiâ eorum, qui cito, & ex levi fundamento credunt; hi enim credunt, quod non est evidenter prudenter credibile, immo habent evidentiam de non prudenti credibilitate objecti, quod credunt, & ideo imprudenter credunt. Falsum 2. est, quod repugnet, ut utrumque contradictorium sit evidenter credibile; sicut enim utrumque esse potest evidenter possibile, aut probabile, ita etiam utrumque evidenter credibile. Addo confundi à M. Mercor. similitudinem credibilitatis, quæ non est nisi grave pro utraqque parte contradictio-
nis fundamentum, vel authoritas, cum credibilitate simultatis, quæ est compositio assensus cum dissentiu; hæc est impossibilis, non illa. Falsum 3. quod omne evidenter credibile debeat apparere certum, nisi ad summum moraliter, ut contingit in mysterijs Fidei, quæ quia sunt tantâ evidentia credibilia, eorum veritas est moraliter certa. Ex hoc autem quod mysteria sint moraliter certa, non tollit quin imprudenter possit credi oppositum; quot enim sunt, qui habent evidentiam credibilitatis, ex. gr. de existentia Christi D. in Sacramento, & ipsam ea existentia est moraliter certa, & tamen eam imprudenter negant?

Secundam impugno 1. quia falsum est Infidelem, cui contradictoria proponuntur cum æquali motivorum credibilitate, nulli parti assentiri posse; si enim, ut dixi, assentiri potest parti minus credibili, quanto magis equè credibili? hoc enim adeo mihi certum est, ut si negetur Infidelem assentiri posse parti minus credibili, negabo dari Hæreticos, & Infideles, nisi materialiter. Vel enim Infideles, dum Apostolis prædicantibus Messiam venisse, crediderunt non venisse, habebant præsentia motiva credibilitatis pro adventu Messie, vel non? Si non habuerunt, non peccarunt, nullum enim peccatum est non assentiri objecto carenti omni motivo: si habuerunt, quæro, an motiva pro adventu Messie representata fuerint ut magis valida, quam pro non adventu? si ut magis valida; ergo, stante maiori credibi-

litate pro adventu Messiae, crediderunt non adventum; atque adeo habeo intentum, quod assensu sint objecto minus credibili, immo non prudenter credibili, nempe non adventu Messiae, & ideo peccaverunt: si autem motiva pro non adventu proposita fuerunt ut minus valida, non peccaverunt credendo non venisse, quia crediderunt objectum magis eis credibile. Contra 2. quia falsum est, quod intellectus non possit assentiri objecto, nisi sit evidenter credibile; hoc enim ad summum verum est de prudenti, non de imprudenti, & peccaminoso assensu, ut est assensus Haereticus. Contra 3. quia quod dicit de testibus, supra sect. 4. §. 2. satisfeci, & paritatem contra P. Cardenas retorci. Contra 4.

M. Mer. quia duo valde diversa M. Mercor. confundit, nam 2. p. art. 5. ab initio expressè dicit se loqui de potentia physica intellectus, nempe an possit assentiri minus credibili, omisso credibili, non autem an Fideles teneantur semper assentiri credibili; numquam autem probat intellectum non posse imprudenter assentiri minus credibili; quod tamen in presenti totum questionis punctum est, & erat probandum. Immo si hoc probaret, probaret mihi nullum dari formalem Haereticum, quatenus, juxta Mercor. nemo potest assentiri nisi credibili; quomodo autem Haereticus sit, qui assentitur credibili, immò quomodo peccabit, cum prudentissimè operetur, qui credibili assentitur?

N. Terciam impugno 1. quia transit à questione, quid intellectus possit, quod unicè modo disputatur, ad questionem, quid intellectus debeat. Contra 2. quia an intellectus teneatur assentiri credibili, adeoque in agilibus teneamur sequi probabilius, examinabitur infra hæc paritas; modò dico quod intellectus tenetur ad summum sequi credibilis, vel quoties oppositum sit incredibile, vel in illis, quæ sunt simpliciter ad salutem necessaria; non autem in illis, quæ inter DD. Catholicos hinc inde controversantur; ex. gr. an Christus circumcissus fuerit cultro ferreo, an lapideo; an à Deiparâ, an à S. Joseph, an die Martis, an die Venere incarnatus, &c. in his enim nemo tenetur ad credibilis, immò potest sine culpa credere minus credibile; quia in his non datur lex obligans ad credibilis. Addo nullam esse paritatem, quia judicium ex. gr. quod Sacramenta sint decem, non facit illa esse septem tantum; at judicium, quod tale opus non sit peccatum, facit non esse peccatum; ergo non valet, teneor in materia fidei ad credibilis; ergo in agibili ad proba-

Tom. I.

bilius. Contra 3. quia in illis verbis, intellectus non potest physice assentiri minus credibili, & si assentiretur illi, assentiretur, quia ex passione aliqua illud apparet sibi evidenter credibile; in his, inquam, verbis, vel sibi contradicit, si affirmat simul, & negat, quod assentiat minus credibili; vel aperte negat dari Haereticos formales; qui enim assentitur evidenter credibili, non potest esse Haereticus formalis; sed tunc Haereticus assentiens objecto minus credibili, assentitur illi, quia sibi ex passione apparet evidenter credibile; ergo non potest esse Haereticus formalis.

Confirmo: Ut enim dici non potest, quod voluntas peccatoris amans temporale bonum à Deo vetitum, amet illud judicando esse melius Deo, aliàs omnis peccator esset Haereticus; sed absolute dici debet, quod amet illud cognoscens non esse melius Deo, & bono spirituali opposito, & ideo peccat: ita dici non potest, quod Haereticus credens Christum D. non esse in Sacramento, credat hunc errorem, judicando esse evidenter credibile, & articulum verum esse evidenter incredibile, quia in hoc casu Haereticus, & erraret per illud judicium judicando, nempe esse evidenter credibile Christum D. non esse in Sacramento; & esse evidenter incredibile eum ibi esse; & non esset Haereticus formaliter; qui enim credit evidenter credibile, & non credit evidenter incredibile, non est formaliter Haereticus. Contra 4. quia etsi tunc Haereticus det locum passioni, ut proponat articulum falsum tamquam evidenter credibile, peccabit quidem dando locum passioni, non tamen credendo articulum falsum, quia assentitur tunc objecto evidenter credibili juxta Mercor.

Contra 5. quia dum ait peccatum infidelitatis non consistere in credendo oppositum fidei, sed in non credendo propositum sufficienter à fide, duo confundit, & ideo falsum dicit; quia etsi non credere Incarnationem sit contra præceptum positivum fidei obligantis ad assensum Incarnationis, attamen hic non est positivè Infidelis, (etsi non sit Fidelis) nisi habeat actum positivum, quo credat non Incarnationem: ut enim contra præceptum charitatis, temperantiæ, & aliarum virtutum possum dupliciter peccare, vel omittendo amorem Dei præceptum, vel committendo odium à Deo vetitum; ita contra præceptum fidei potest quis dupliciter peccare, vel omittendo actum fidei contra præceptum fidei obligans ponere illum, ex. gr. non credere Incarnationem; vel ponendo actum vetitum à præcepto negativo fidei, ex. gr. positivè credere non

Ffij

Incarna-

Incarnationem. Igitur. M. Mercor. semper petit principium, dum ait non posse Hebraum credere oppositum fidei, licet possit non credere articulum fidei; cur enim non potest per dissensum positivum negare Incarnationem, nisi quia vis non posse intellectum assentiri objecto minus credibili? Sanè

N.
351.

sicut in alijs virtutibus lex præcipiens actum violatur per omissionem actus præcepti, & lex vetans actum violatur per positionem actus vetiti; ita in materiâ fidei, lex præcipiens actum fidei violatur per omissionem actus præcepti: ergo lex vetans actum oppositum violabitur per positionem actus vetiti, seu infidelitatis; nam nullus prohibet impossibile: ergo si infidelitas positiva prohibetur, est possibilis; sed infidelitas positiva est circa oppositum fidei apparens minus credibile; ergo est possibilis actus circa minus credibile, quo modo amor circa minus amabile.

Addo, & quæro à M. Mercoro, an Judæi positivè negantes adventum Messiae, negaverint eum adventum, quatenus non adventus apparuit illis evidenter credibilior, quam adventus? Si affirmat; ergo prudenter negarunt, etsi imprudenter, & ex culpâ permiserint, ut passio proponeret non adventum, tamquam credibiliorem. Si negat; ergo habuerunt dissensum positivum circa minus credibile. Confirmo 1. quia sicut nullus dicet, quod homicida, etsi ex passione procedat, nullus, inquam, dicet, quod judicet homicidium esse evidenter maius bonum non homicidio; immò ideò occidendo peccat, quia cognoscit homicidium esse minus bonum, & esse vetitum: ita nullus dicere potest, quod etsi Hæreticus ex passione, ex. gr. quia fides vera prohibetur illi sub pœna mortis, & confiscationis, nullus, inquam, dicere potest, quod judicet articulum falsum esse evidenter credibiliorem articulo vero; immò ideò peccat credendo falsum, quia cognoscit se credere falsum, levissimâ veri apparentiâ tinctum. Confirmo 2. quia si Infidelis non potest credere minus credibile, Deus prohibet credere magis credibile, quod est absolum; prohibet enim assensum circa articulum falsum; vel ergo assensus circa tale objectum est circa credibilis, & sic prohibet credere credibilis; vel circa minus credibile, & sic Infidelis potest credere minus credibile. Vide quæ dixi *sect. 4. §. 1.*

N.
352.

N.
353.

Quartam impugno; quia non video, quomodo negari possit actum fidei esse saltem liberum libertate exercitij, esto quis habeat evidentiam signorum, seu credibilitatis, nam

omnes T. T. docent oppositum, & ideo volunt, & ut certam admittunt, & necessariam ad fidem supernaturalem, piam voluntatis affectionem, cum S. Thomâ 2. 2. qu. 1. art. 4. & qu. 2. art. 1. ad 3. quod efficaciter probat P. Suar. d. 6. de Fide *sect. 6. & 7. C. de Lugo ibi d. 10. sect. 1. P. Hurt. de Mend. ibi d. 45. P. G. Hurtad. ibi d. 4. diff. 7. P. Card. tom. 4. d. 13. n. 2.* omnes enim sentiunt nostræ fidei mysteria esse evidenter credibilia, & Fidelem esse liberum credere, aut omittere actum fidei, ut patet tum ex Trident. *sess. 6. cap. 6.* dicente, homines disponi ad iustitiam, dum excitati Divinâ gratiâ, & adjuvi, fidem ex auditu concipientes, liberi moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt; tum ex S. August. *tr. 26. in Joan.* dicente, Multa potest homo facere non volens, credere autem non potest nisi volens; tum ex Scripturâ, quæ fidem sepe vocat obedientiam, ita *Act. 6. Multa turba Sacerdotum obediebat fidei; & Apostolus 2. ad Cor. 10. ait: Captivantes intellectum in obsequium Christi,* captivatur autem per voluntatem; tum ex S. Thomâ 2. 2. qu. 1. art. 4. dicente, assensum fidei esse liberum; tum ratione, quia Dei revelatio, quæ est saltem partialiter objectum fidei, obscurè proponitur; nam evidentia signorum reddit quidem evidenter credibilem revelationem, non autem reddit evidenter revelationem: ergo cum motivum formale fidei non sit evidens, non necessitat intellectum ad assensum. Ad do: Si fides non esset libera, non esset meritatoria, cum meritum supponat libertatem. Vide T. T. P. Ripald. P. Bernal. Herinx, Mastrium, Pontium, Gonet. &c.

Contra 2. quia evidentia signorum necessitat intellectum ad iudicium evidens credibilitatis, non autem ad actum fidei, & in hoc æquivocatur M. Mercor. confundens iudicium fundatum in evidentia signorum, quod dicitur iudicium evidens credibilitatis, cum ipso actu fidei sequente ad iudicium evidens credibilitatis; hoc enim quia evidens suspendi non potest; potest autem actus fidei, quia inevidens. Contra 3. quia dicere, quod actus fidei sit liber, eò quia potest imperari ex hoc, aut illo motivo, est negare fidei libertatem; hoc enim modo etiam actus scientiæ liber erit; nam potest Mathematicus ex hoc, vel illo motivo, ex. gr. lucri, vel honoris, imperare sibi mathematicam demonstrationem: ergo in Fideli nulla alia libertas dabitur, quam quæ in Mathematico; sed hoc dici non potest, nam demonstratio mathematica nititur præmissis evidentibus, actus autem fidei nititur testimonio

monio Dei obscure propositio, et si evidenter credibili: ergo &c.

Contra 4. quia sicut aliarum virtutum actus non tantum sunt liberi, ut fiant ex hoc, vel illo motivo, ex. gr. amor Dei non tantum est liber, quatenus esse potest, vel ex Dei bonitate ut sibi bonum, vel ex eadem ut mihi bonum, sed etiam est liber in se libertate exercitij, & contrarietatis, & non tantum purae diversitatis, quatenus voluntas est libera amare, & non amare; amare, & odisse; ita hoc idem dicendum est de actu fidei, quatenus intellectus iudicans evidenter credibilem existentiam revelationis, est liber credere, & non credere, credere, & discredere, ut bene Herinx *tom. 3. d. 7. an. 11.* & P. G. Hurt. *diffic. 7.* cum fides non sit minus meritoria, quam aliae virtutes. Sicut ergo libertas in his, ex. gr. licet evidens sit melius esse amare Deum, quam non amare, vel odisse, est ad extrema opposita contradictoriae, & contrarietatis, non autem est ad actus tantum diversos ex diverso motivo; & sicut evidenter, quod melius sit amare, quam non amare, vel odisse Deum, non tollit a voluntate libertatem exercitij, seu contradictionis; & libertatem specificationis, & contrarietatis, non autem purae diversitatis; potest enim amare, & omittere amorem; potest amare, & odisse Deum: ita etiam Fidelis liber erit ad actum, & non actum fidei; ad actum fidei, seu assensum circa articulum verum, & assensum circa articulum falsum. Evidentia enim de credibilitate Incarnationis non facit evidentem Incarnationem, sed unice facit evidenter credibilem; eaque evidenter credibilitatis necessitat quidem intellectum ad iudicium evidens de credibilitate, quod iudicium non est actus fidei; non autem necessitat ad iudicium de existentia Incarnationis; quia adhuc dato iudicio evidenti de credibilitate existentiae Incarnationis, intellectus est liber, tum ut credat, datur Incarnatio; tum ut omittat hunc actum; tum ut credat, non datur Incarnatio. Contra 5. quia haec doctrina pugnat cum priori: vel enim intellectus est determinatus ad credibilis, & sic caret libertate specificationis; vel non? & sic assentiri potest minus credibili, & minus probabili. Dices cum M. Mercor. intellectum esse liberum libertate specificationis, ut credat minus credibile, quatenus potest deservere magis credibile, & magis considerare, aut unice considerare minus credibile, & dein credere. Sed contra 1. quia hoc modo ligatus erit liber, quia in sensu diviso a catena potest currere; quae responsio ijs omnibus impugnat. Tom. I.

nari potest, quibus libertas Praedeterminantium. Contra 2. quia talis libertas specificationis datur etiam in habente evidentiam, nam potest Mathematicus abstrahere intellectum a tali demonstratione, & considerare oppositum; libertas autem, quae a Theologis tribuitur fidei Divinae, toto Caelo differt a libertate, quae tribuitur scientiae. Tertiò, quia intellectus debet simul cum motivo fidei, & haerese habere potentiam ad credendum magis, vel minus credibile, & ad credendum verum, & falsum divisim; doctrina autem Mercori tollit similitudinem potentiae ad utrumque, & unice concedit credendi potentiam in sensu diviso a motivis credibilibus; quo modo Mathematicus habet potentiam negandi demonstrationem in sensu diviso ab evidentibus praemissis. Quae autem libertas est ista? Sane nulla: ergo vel intellectus non habet libertatem specificationis quoad credere, vel si habet, ut habet immediatam in alijs actibus meritorijs, habebit etiam immediatam ad actus fidei, adeoque assentiri poterit minus credibili.

Quintam impugno 1. quia in subdito saepe est impossibile hoc iudicium, iudico esse verius, quod jubet Praelatus. Contra 2. quia obedientia stat cum iudicio proprio dictante non esse probabilis, quod jubet Praelatus; et si simul etiam iudicare possit esse probabiliter honestum, quod jubet.

Omitto impugnare, quae tradit *art. 7.* ubi docet, quod si una ex duabus opinionibus sit aliquanto probabilior altera, non poterit intellectus assentiri probabiliori, quia tunc dubitat, & una enervat aliam. Sed contra; quia haec omnia satis rejecta sunt tota sectione. Hoc tantum scio, quod si quae ex M. Mercor. retuli hoc §. sunt vera, nullus Haereticus erit formalis, quia omnis assentitur semper credibili: erit quidem ignorans, quatenus assentitur articulo falso, quem putat esse credibiliorem, non tamen erit Haereticus ob dictam rationem. Rursus omnis peccator erit Haereticus, quatenus per errorem iudicat melius esse nunc furtum non furto.

§. II.

Responsio M. Palauci.

S U M M A R I U M.

Docet fidem esse liberam non immediate, n. 360.
Docet Haereticum ideo peccare haeresi formali, & imprudenter assentiri suis sectae, quia ex eius culpa apparet credibilior, n. 361. 362.
Docet, quod temere iudicans, putet se gravissimè